

Sanctissimus vir Philippus non multo ante mortem, cum gemens haec ecclesiae vulnera deploraret, dixit singulari et arcano Spiritus sancti consilio in concione Paulina proxime ante disputationem de coena positam esse hanc grauissimam prohibitionem „Fugite idololatriam“, vt significaretur tetricas et idololatricas secuturas esse confusiones huius sacramenti et pij moniti hac 5
seuera voce quaerent de vero vsu. Sit in spectatoribus pia reuerentia, quae profisciscatur ex vera doctrina de vsu coenae, sed adoratio ad panem et gestus significantes eam reiiciantur.²¹⁰ Vetus ecclesia post publicas preces assidens ad mensam vescebatur his symbolis, tunc nemo se prouoluebat ad panem aut poculum, tunc nemo attollebat aut ostendebat panem populo tanquam corpus 10
Christi, et quamuis isti ritus sint sua natura medij, tamen cum hactenus occasionem idololatricae praeberint, erant taxandi et abolendi. Rogamus omnes, qui iudicare possunt, crederent ne, si Paulus apostolus aut alius ex suis nunc viuens immisceret se coetui, vbi administratur coena, an hunc ritum agnoscerent? Ego nullo pacto adducor, vt credam. Ita nimirum degeneramus. In haec 15
mala, cum intuerentur, quidam docti viri semper hoc certamen, quod hisce annis motum est, nominarunt controuersiam *περι ἁρτολατρείας*. Non enim existimandum est hanc accusationem ad solos pertinere pontificios. Nequaquam ita rude est agmen pontificium, vt prae se ferat creaturam sese inuocare, sed Christum velatum illis panis accidentibus adorare sese aiunt. Ita pars 20
aduersa velit, nolit, fateatur necesse est Christum suo corpore realiter cum pane in actione vnitum vera adoratione esse compellendum. Sed cogitent pie mentes, quam tetra haec sit impietas Christum cor-[73:]porali praesentia ad creaturam alligare et ita cultum adorationis sine mandato euangelij institueret. Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu et veritate.²¹¹ Accedamus 25
igitur ad dominum nostrum Iesum Christum fide, non quaeramus eum in corporalibus elementis panis et vini. Ab eo regnante ad dextram aeterni Patris et dante dona hominibus petamus bona aeterna et corporalia et nominatim in hoc vsu, hoc est vt in hac sumptione velit in nobis esse efficax, nos gestare et seruare tanquam membrum sui capitis et carnem suae massae 30
humanae cognatam et insertam.

Posteaquam recitauimus, quare non recipiamus expositionem natam ex reliquiis transubstantiationis, nunc etiam argumentis ipsorum, vt omnes scrupuli eximantur, breuiter respondebimus. Primum et illud quidem, vt iactatur, vel insolubile vel *ἀσύστατον*: Hoc corpus datur, quod pro nobis est traditum. Pro 35
nobis est traditum corpus verum. Ergo datur nobis corpus verum. Sciendum est esse argumentum Scoti neque enim vllus defraudandus est suo honore.²¹²

²¹⁰ Vgl. Philipp Melanchthon, Iudicium de coena Domini (1560), in: CR 9, 962 (MWA 6, 484, 33–485,2).

²¹¹ Vgl. Joh 4,24.

²¹² Zur Abendmahlstheologie des Johannes Duns Scotus vgl. Reinhold Seeberg, Die Theologie des Johannes Duns Scotus. Eine dogmengeschichtliche Untersuchung, Leipzig 1900 (SGTK 5, ND: Aalen 1971), 366–397.